

1.
1.
2.
3.
4.
5.



17

10

DISSERTATIO INAUGURALIS
IVRIDICA,

DE

AEQUALI, VTRIVSQUE
PARENTIS, IVRE, QVA CONSENSVM
IN SPONSALIA LIBERORVM: 1760, 3.

QVAM,

DEO CLEMENTISSIME DIRIGENTE,

EX DECRETO AMPLISSIMI ICTORVM
ORDINIS,

IN ACADEMIA PATRIA,

PRAESIDE,

DN. D. ERN. IO. FRIED.

Mantzen,

SEREN. DVC. REGNANT. CONSIL. ET PAND. PROF.
FACVLT. IVR. SENIOR, ET AD H. A.

DECANO,

PRO IMPETRANDIS SVMMIS IN IVRE
HONORIBVS,

H. L. Q. C.

ANNO MDCCLX. D. XXVI. IVNII,

DEFENDET,

GABR. FRIED. FANTER,

ROSTOCH.

ROSTOCHII,

LITTERIS ADLERIANIS.



Part



DISSERTATIO IN AVOGVALIS
IURIDICA

AVOVALIS, VTRIVSQVE
PARENTIS IURE, QVA CONSENSVM
IN SPONSALIA IRRORVM

DEO CLEMENTISSIME DIRIGENTE
EX DECRETO AMPLISSIMI IUSTORVM
ORDINIS
IN ACADEMIA PATRIA,
P. ANSING

DM. D. FRN. IO. FRIED.

DE GHEFFEN,
SERM. DVC. REGNANT. CONSIL. ET CAND. PEDI.
CACCHE IUR. SENIOR, ET JUD. A.
BOGARD.

PRO IMPETRANDIS SVMMIS IN IURE
HONORIBVS,

M.D.C.
ANNO MDCCCLXXVI IAN.

DEP. D. T.
GABR. FRN. IO. FRIED. F. A. N. T. E. R.
ROSTOCK.

ROSTOCKII
LITTE. A. G. E. R. I. A. N. I. S.





Q. D. B. V.

INTROITVS.



Cum, data, ab Illustri ordine
Jctorum licentia, animum
induxissem, dissertationem in-

auguralem scribendi, plurima inter se commen-
dabant materiarum genera. Diu anceps hae-

A 2

rebam

rebam, quia perquam difficile, paucis paginis prolixam comprehendere elaborationem. Denique vero meae rationes eo tulerunt, hanc materiam, *de aequali, utriusque parentis, iure, qua consensum in sponsalia liberorum,* pertractare. Tu, B. L. pro mei ingenii tenuitate, et propositi ratione scripta, dextre atque gratiose interpretare, atque, quia desiderio Tuo, non omni ex parte, satisfactum, benevole ignosce, mihi que fave. Deum vero Ter Optimum Maximum veneror, ut felicissimis caepta fortunare velit eventibus.



TRA-



TRACTATIO,

§. I.



Romani, in doctrina, de Patria Potestate imprimis, aliam viam, quam recta, et naturalis aequitas et ratio commonstrat, sunt ingressi. Romulus primus cuique patrifamilias in domo sua summum ius et illimitatum imperium, omnia pro lubitu faciendi, quae ipse in urbe, concesserat, hinc magistratui nequidem ius inspiciendi et dirigendi competebat. Ast hoc ius, respectu scil. habito ad Remp. Romanam, et quatenus peculiaribus effectibus auctum est et informatum, proprium erat civium Romanorum §. 3. *Inst. de patr. potest. L. 3. ff. de his, qui sui vel alien. jur.* quam ab causam patria potestas quoque in Legibus dicitur dominium Quiritarium, de cuius ratione atque indole speciale Programmata scripsit noster concivis, Celeberrimus Dn. REYTERVS, sub rubro, *ex anno 1755.* quod distinctionem illam vocat aenigmaticam. Patria ergo illa potestas nemini, quam civi Romano competere poterat, quare etiam



iam hi solum iustas contrahere poterant nuptias, five inire connubium. *pr. Inst. de nupt.* Patria ideo quoque potestas erat effectus iustarum nuptiarum. Licet quidem peregrini coniugia secundum leges et statuta loci inirent legitima, in Imperio tamen Romano, quia non secundum leges et praescripta iuris Romani erant celebrata, pro iustis non habebantur, sed eam ob causam a beneficiis, civibus Rom. concessis, multa ex parte erant exclusi.

§. II.

Si igitur rem accurate perpendimus, patria potestas Rom. erat ius solum patri competens, non tantum liberis suis legitimis in communem familiae et Reip. utilitatem, imperandi, sed de corpore etiam et bonis eorum, sicuti de caeteris rebus propriis, pro arbitrio disponendi. Patri, eam ob causam, integrum erat, ius vitae et necis in liberos exercendi, minime vero meram potestatem liberos occidendi, sed tanquam iudex domesticus poenam liberis delictum perpetratis, licet etiam esset capitalis, dictitare poterat. Imo liberi erant deterioris conditionis, quam servi. Servus enim adepta semel libertate, liber, excepto ingratitude casu, manebat; liberi vero a patre venditi et iterum manumissi, in potestatem patris recidebant, et impetrata tandem tertia vice libertate, a patria potestate liberabantur. *Heineccius Antiquit. Rom. Lib. I. tit. IX. §. VI.* Et quia liberi rebus annumerabantur, *Cajus Lib. I. Instit. tit. VI. §. II.* pater eos vindicare, vendere, omniaque ea decernere potuit, quae de rebus, quae in dominio erant, licebant. Ita de iure veteri Romano, quod successive fuit limitatum.
Prodeat



Prodeat tandem genealogia quasi legum Romanarum. Quid porro? liberi nihil proprii habebant, sed omne quod acquirebant, ex re patris, patri acquisiverunt, §. I. *Inst. per quas person. cuique acquir. et Dionysius Halicarn. Lib. VII. antiq. Rom. c. 91. Romanis filiis nihil proprii erat vivis parentibus, sed lex Romuli, et pecunias, et corpora liberorum patribus ad eorum arbitrium tradidit.* Interim tamen, licet pater, vi suae potestatis in liberos, illimitatam exercere potuerit potestatem, ea intra terminos negotiorum familiae tantum erat exercenda, dum liberi in his solum a nutu patris dependebant. *L. 4. ff. de rit. nupt.* hinc ergo omni iure *Seneca Controv. in Lib. 2. c. 3. patrem iudicem domesticum, & Sveton. in Claud. c. 16. censorem filii vocat.* In negotiis vero publicis & spiritualibus, quatenus pietatem concernunt, *c. ult. X. de judic. in 6to.* pro patrefamilias habebatur *L. 9. ff. de his, qui sui l. alien. jur.* ideo, si filiusfamilias gereret magistratum, patria interquiescere videbantur iura. *L. 13. §. 5. & L. 14. ff. ad Scl. Trebell.* Quod hoc de minori- bus officiis sit intelligendum, vix est, ut allegem, quia ad magistratum maiorem eVecti, eo ipso liberabantur a patria potestate.

§. III.

Verum enim vero jure Romano tantum liberi patris, sed & uxores potestati mariti erant, instar filiarumfamilias, subiectae. Hoc satis acute corroborat *Dionysius Halicarn. L. 2. antiq. Rom. si qua in re (uxor) deliquisset ipsum, qui injurias passus erat (maritum) iudicem habebat; qui poenae magnitudinis erat arbiter.* Simulac enim nuptiae contraherentur, nuptae in mariti tran-



transibant potestatem. *Hot. de ritu nupt. C. 22.* Marito ideo non solum competebat animadversio ob delicta, ab uxore commissa, dum coram propinquis de vita & fama cognitionem causae instituebat; sed ius etiam uxores interficiendi in adulterio. Imo atrociora licebant, jus vitae & necis fere inferentia. *Gellius in Noct. Attic. L. 10. C. 23. in fin. it. Tacitus de moribus Germ.* Mater itaque rebus tantum domesticis vel administrandis, vel conservandis praeerat, & ideo ob propriam quoque subjectionem nullam in liberos exercere poterat potestatem. §. 3. *Inst. de hered. qualit. & different.* Quicumque enim ipse est in potestate alterius, ille alium in simili potestate habere nequit. Ita ratiocinabantur.

§. IV.

Iure Romano igitur pater solum in liberos exercere poterat potestatem. Ideo ad validitatem sponsaliorum ipsius tantum requirebatur consensus, & ille tamdiu erat necessarius, quamdiu liberi erant ejus potestati subiecti. *pr. Inst. de nupt. L. 18. 25. & 35. de rit. nupt.* Et ut durius exprimamus, iustus patris circa nuptias liberorum erat in apertis. Instruit B. de WESTPHALEN *in spec. Iuris Rom. disson. a Iure Germ. comm. & Meckl. Rost. 1727.* Ipsa rubra positionum salivam movent; sunt autem concernentes, quae sequuntur: I. *In consensu connubiali, & potestate matris*, II. *in matrimonio coacto, emancipatione & dote.* III. *In dissentiente patre, praeter causam.* Vertemus scripta inferius in nostros usus. Fundamentum hujus necessitatis, solum consensum patris ad sponsalia ineunda adhibere, erat patria potestas. Ob vinculum enim P. P. de se suoque statu disponere neutiquam liberis



beris erat licitum *L. 4. ff. de rit. nupt.* Multo minus sponſalia celebrare poterant, hinc ea, neglecto patris conſenſu peracta, iam per ſe irrita erant ac nullius plane momenti. *§. pen. Inſt. de nupt.* B. SCHOEPPER, *de neceſſitate conſenſus paterni, in nuptiis liberorum & latius multi.* Aſt e contra matris conſenſu non opus erat in ſponſalibus liberorum, partim, quia ejus poteſtati non ſubjecti, partim, quia matri non ſemper heredes, ſed ut extranei cenſebantur.

§. V.

Et quia tantum ob patriam poteſtatem liberis ſponſalia, ſine patris conſenſu ineunda, interdicta erant; liberi emancipati ad hunc conſenſum minime adſtringebantur, *L. 25. ff. de rit. nupt. filius emancipatus etiam ſine conſenſu patris uxorem ducere poteſt.* Anne vero hodie liberi, per ſeparatam oeconomiam a patria poteſtate liberati, adhuc ad conſenſum paternum in ineundis nuptiis adſtricti ſint; alia eſt quaestio, quae prorsus communiter affirmatur, dum iure hodierno neceſſitas conſenſus paterni non tam ex iure P. P., quam ex iure reverentiae a liberis patri, etiam poſt impetratam a P. P. liberationem, omnino adhuc debitae deduci ſolet, absque tamen effectu iuridico. *confer. SCHOEPPER. l. b. in Diff. antea. adl.* Sed ratione filiae emancipatae multo aliter apud Romanos res ſeſe habebat. Si erat adhuc minorennis, conſenſum patris, licet iamiam ad ſecunda tranſierit vota, adhibere debebat *L. 18. C. de nupt.* dum ſemper praefuntio adest, in illa aetate patris conſilium filiae optimum eſſe debere *L. 3. §. 1. de adminiſtr. tut.* Adepta vero maiorenitate ius ſponſalia ineundi, liberum erat, *pr. Inſtr. de nupt.* Vivo adhuc patre matris

B

con-



consensus in sponsalibus, neque filiorum neque filiarum, necessario requirebatur; deinde, patre mortuo, quidem tam filius, quam filia maiorennis sponsalia, sine adhibito matris praecedenti consensu, celebrare poterant, filia vero minorennis, ob sexus infirmitatem, matris consensum adhibere omnino tenebatur. *L. 20. C. de nupt. Conf. CRELLII Diss. de filia vidua ad patrem reversa. Viteb. 1754. Leg. WESTPHAL. l. c. pos. 1. de matris potestate, ubi Ius Rom. Germ. & Meckl. excutitur; add. Dn. Praesidis Ius matrimon. Meckl.*

§. VI.

Est, si liberi enixe & legitimo modo consensum patris, ad sponsalia ineunda, iure Romano imploraverant, patri omnino licebat, liberis sponsalia propria auctoritate interdiceret, nec causas sui dissensus allegare obligatus manebat. Et licet quidem celebratio sponsaliorum iam iam esset perfecta, tamen ob solum nudum dissensum: Nolo, quia Nolo, annulationem praetendere & magistratus, si liberi eius auxilium implorassent, nullo modo sine patris expressa ratihabitione, consensum eius supplere & liberis licentiam sponsalia ineundi concedere poterat. Nam Romulus illimitatam semel in liberos patri concesserat potestatem, adeo, ut magistratus nequidem ius inspiciendi exercere posset. Iure vero recentiori Romano aliud dicendum esse inficias iuerit nemo. *Vid. BÖHMERS introd. in Jus Digestorum, Lib. 23. tit. 1. §. 16. WESTPHAL, l. c. sub rubro: de dissentiente patre, praeter rationes,*

§. VII.



§. VII. *in* *liberis* *aut* *liberis*
Tanta erat differentia, ratione potestatis, inter pa-
trem & matrem; haec prorsus iure naturae evanescit,
& nullum locum invenire potest, siquidem, hoc iure,
tam matri quam patri, potestas in liberos competit. Si
enim fundamentum patriae potestatis consideramus,
tantum in eo consistit, ut liberi bene educentur, & in-
stituantur, ut commoda Reip. & familiae evadant mem-
bra. Matri, aequae ac patri educatio, & institutio, quia
scopus societatis paternae, procreatorum educatio nomi-
nerur, est imposta, hinc mater eodem modo, sicuti pa-
ter, si liberi contumaces, nec voci eius obtemperare
volunt, eos castigare, emendare finemque monstrare
potest, ut imposterum meliora sequantur & deteriora
fugiant. Imo iam aperte in sacris litteris reperimus,
Deum nihil speciatim de sola patris potestate praecepisse,
sed uno illo vastissimi ambitus praecepto, est amplexus:
Honora patrem tuum & matrem tuam, EXOD. 20.
v. 22. Quisque matrem suam & patrem suum timeat
LEVI T. 10. v. 3. coll. aliis dictis epanorthoticis. Iura
itaque parentum, in liberos, tam iure divino positivo,
quam iure naturali aequalia manere neminem amplius
fugit; eam ob causam matri plus iuris in liberos, quam
patri non potest attribui. Licet quidem iudicio non-
nullorum mater primum liberos, ob conceptionem in
potestate habeat, eamque postea in patrem transferat;
tamen, si rem accurate perpendimus, eiusmodi potestas,
mediante occupatione, non est acquirenda. Occupatio
enim est modus acquirendi originarius; patria e contra
potestas tantum derivative potest acquiri, & praeterea
liberi, ex nuda generatione, sine educatione plus incom-
modi



modi sunt capturi. Imo potius pater, tam per educationem, quam per generationem, maximum in nos confert. 1) enim causa est, ut nos existamus. Quid vero vita pretiosius, quid iucundius? 2) nos beat per generationem divina illa & gratiosissima promissione, ut animi & corporis voluptate, si pie vivamus, perfruamur. Quod nonnullae gentes, etiam moratissimae, arctius vinculum sanguinis, inter liberos & matrem, quam inter illos & patrem, statuerint, incidit nobis, haec scribentibus. Legatur ex historia Patriarchae, Abrahami, CAP. XX. GENES. V. 12. & add. *Aemilius Probus, in Cimone, de distinctione Atheniensi.*

§. VIII.

Sicut igitur iure naturae patri potius ius in liberos quam matri non competit, sed utrique aequalem exercent potestatem; ita liberos solus patris consensus in contrahendis nuptiis, licet de iure Rom. satis esset sufficiens, haud juvat, sed matris quoque consensus sub absoluta necessitate, salva praerogativa patris, in regula, requiritur.

§. IX.

Licet quidem iure Romano potestas parentum esset inaequalis, quia mater itidem potestati mariti etiam erat subiecta, & nudum tantum habebat nomen; mater tamen ratione reverentiae & venerationis non erat deterioris conditionis, quam pater, sed aequo cum eo gaudet iure, dum non minus ad procreationem & sustentationem sobolis contribuit, quam pater. Hinc inde idem ius civile Rom. matri debitam reservat reverentiam, uti videre est ex *L. 4. C. de patr. potest. Reverentiam*



rentiam autem debitam exhibere matri filios cogit (Praeses Provinciae) & L. 5. C. ad leg. Corn. de fals. Falsi quidem crimen vel aliud capitale movere vos matri vestrae Secta mea non patitur.

§. X.

At Germani mitiores fuerunt erga matrem. Hi matri idem ius in liberos, quod pater exercet, concesserunt, dum hoc ipsum ad iuris naturae rationem, quam proxime accedit, ut potestas in liberos iure eos educandi & actiones eorum ad familiae & Reipubl. utilitatem dirigendi absolvatur. LYNCKER de potestate matris. Matri jure Germanico liberrima facultas, tam suas, quam alienas res administrandi erat concessa, ideo quoque liberos in nuptiis matres consulere & audire oportet, & quidem adeo necessario, ut nuptiae, neglecto matris consensu, irritae sint, & etiam pro nullis habeantur, quamvis ex adverso disputent Jcti Romani, quasi matris consensus non sit necessarius, sed tantummodo honoris & reverentiae. De iure Germanico, variante & distinguente, vid. scriptores notissimi. add. omnino LUDOVICI, diff. de iure & iurisprudencia domestica, Cap. 3. de societate parentali. THOMAS, de usu iuris paterni, Rom. & Germ. Evolv. in Bibl. Iurid. V. Mater, parentes, consensus etc. ubi etiam occurret FUCHSII diff. de iure matris circa liberos, diverso, a jure patris. Frf. 1694. Quod haec talia afficiant avos aviasque, de praxi constat & omnia habet, qui legit STRYKIANAS diff. de iure avorum & de iure matris & aviae.



§. XI.

Iure quidem Romano nudus patris consensus ad-
 validitatem sponsaliorum liberorum tantum requireba-
 tur, *pr. Inst. de nupt.* ideo liberis consensum curatorum
 et propinquorum in nuptiis adhibendi nulla imponebatur
 obligatio, *L. 20. ff. de nupt. ad officium curatoris admi-
 nistratio pupillorum pertinet, nubere autem pupilla suo
 arbitrio potest. L. 8. C. de nupt. in copulandis nuptiis
 neque curatoris, neque cognatorum ulla auctoritas pot-
 est intervenire, sed spectanda eius voluntas, de cujus con-
 iunctione tractatur.* At iure Germanico praeter patrem,
 & matrem quoque aliorum consensus, ita, ut non solum
 tutores & curatores, sed quoque alii proximi cognati
 consentire debuerint, *vid. de LUDWIG IN DISS. DE
 CONSENSU CONNUBIALI EXTRA PATREM, & quod
 in specie ad curatores attinet in Ducatu Mecklenburgico
 consensus ipsorum est necessitatis, vid. in der Policey
 Ordnung de anno 1772. von heimlichen Verlobnissen
 §. I. Sie sollen sich solcher heimlichen Verlobniß, so
 ohne ihre Vormünder geschehen, gänzlich enthalten,
 item jus Nostrum statuarium P. I. tit. IV. §. IV. ex-
 presse sancit: eine Verlobung, welche ohne Vormünder
 Consens geschehen, ist kraftlos. Legatur diss. Sibrandiana
 Rost. ex anno 1685, de irritis sponsalibus, quibus citra tuto-
 rum consensum pupillae sunt irretitae, ubi messis tex-
 tum provinc. add. IENICHEN progr. de necessario
 tutorum consensu in nupt. minorum. Lips. 1730.*

§. XII.

Iure Romano ad validitatem sponsaliorum nulli
 quoque testes requirebantur, *vid. Caspar Matthaeus MÜL-
 LER,*



LER, *de sponsalibus sine testibus contractis*. In plerisque vero Germaniae locis omnino, per speciales constitutiones, ad omnem ambiguitatem in negotio tam arduo evitandam, praecise tamquam formale requiritur praesentia testium in actu celebratorum sponsaliorum. STRYCK AD BRVN, I. E. II. 16. 12. p. 606. Unus testis vero non sufficit CARPZOV L. 2. D. 34. Sed ad minimum duo necessarii sunt, *arg. L. 12. ff. de testib.* Audiat *ius nostr.* *statut. l. c. §. 1.* Eine Verlobung, welche nicht wenigstens in zweyer Zeugen Gegenwart geschehen, soll null und nichtig seyn. Idem quoque sancitum in *Ord. Consist. Meekl. add. Select. Jurid. Rost. Fasc. II. Spec. 21. qu. 3.*

§. XIII.

Moribus Germaniae universalibus, quia consensus in nuptiis liberorum non ex potestate patria oriatur, sed effectus communis reverentiae omnibus parentibus debita sit, matris consensus aequae necessarius est in nuptiis liberorum, quam patris. Matres enim eandem in liberos exercere possunt potestatem. Pro matris consensu in Germania legi merentur, HEIGIVS P. 1. *quv. 22. n. 56.* COLERVS P. 1. *Decis. 5.* MEVIVS *ad ius Lubecense L. 1. tit. 4. art. 2. n. 22.* & *nostrum ius Statutarium l. c. §. IV.* Eine Verlobung, welche ohne der Eltern Consens geschehen, ist kraftlos. Pluralis: Aeltern ubique in textibus palpatur.

§. XIV.

Imo in Megapoli expresse sancitum, sponsalia sine expresso utriusque parentis consensu celebrari haud posse, *vid. Ordin. Consistor. Mecklenb. de anno 1570. von Ehegeliß.*



gelübden ohne der Eltern Verwilligung. Es sollen
solcher Verlöbniß ohne Vorwissen der Eltern sich gänz-
lich enthalten. It. Die Policy-Ordnung de anno 1572.
§. 1. nachdem die heimlichen Ehegelübden ohne Verwilli-
gung der Eltern geschehen; so sollen solche kraftlos und
gänzlich ungültig seyn.

§. XV.

Licet quidem Germani mitiores fuerint, & mari-
idem ius in liberos, quod pater exercet, concesserint;
tamen extra omnem dubitationis aleam est positum,
praerogativam illam, quae patri, ut capiti familiae de-
betur, agnovisse. Hinc pater, licet filius enixe & le-
gitimo modo consensum ad ineunda sponsalia implora-
verit, & consentiente matre in scio tamen patre sponsa-
lia celebraverit, per suum dissentium annullationem
Sponsaliorum postulare potest. *vid. Nostr. Ius Statuta-
rium in loc. antea adl. §. VIII.* sind Vater und Mutter
wegen der Vereheligung ihres Kindes uneinig; so mag
des ersteren Meinung den Vorzug haben. Audiatur mater.

§. XVI.

Exsurgit quaestio, utrum consensus, si legitime
imploratus, absque omni causa denegari queat? Minime.
Patet potius aditus ad magistratum. *vid. Nostr. Ius Sta-
tut. l. c. §. V.* Haben Kinder ihre Eltern, ehe sie sich ver-
lobet, um den Consens gebeten, und er ist ihnen ver-
saget worden; so stehet denselben frey, die Eltern des-
falls bey dem Rathe zu belangen, & tunc causas dissen-
tiendi allegare omnino obligantur parenter, cum patria
potestas hodie in pietate, non vero in atrocitate consistere
debeat.



debeat, L. 5. ff. ad L. Pompej. de Parricid. his vero deficientibus, sponsalia ob solum dissensum: Nolo, quia Nolo, neutiquam impediuntur, vid. *Ordin. Consist. Mecklenb. Rubr. von Ehegelübden ohne Verwilligung der Eltern*, §. Und soll nicht genugsam seyn, daß ein Vater oder Mutter sage, darum will ich nicht, daß ich nicht will, sondern das Nichtwollen soll mit beständigen Ursachen ergründet seyn. Ergo Consistoria prudenter consensum parentum supplere liberisque licentiam sponsalia celebrandi largiri possunt. *Ioachim Christ. Warnemünde, in Diss. inaug. de consensu parentum in nuptiis liberorum, per magistratum supplementatione.*

§. XVII.

Ex praecedentibus ergo facile quoque definiri potest quaestio, an mater dissolvere queat sponsalia, si liberi, ipsa inscia, sed sciente patre, sponsalia inierint? Est enim in praecedenti Spho iam adductum, quod, si pater & mater adhuc in vivis sint, & dissensus inter illos suboriatur, patris consensus omnino, in regula, sit praefendus. Quam in rem *Dn. Praeses in Diss. de requisitione consensus absque formidine denegationis vom Mundgönnen*, adstruit, quod requisitio consensus materni, vivo adhuc patre, tantum ad speciem talis consensus, qui absque formidine denegationis requiritur, referendus sit. Interim tamen, liberi non bene agunt, si vivo patre, absque praescitu matris, sponsalia contrahant, sed tamen praeterea sponsalia semel ita celebrata, si pater tanquam caput familiae consensum dederit, non dissolvenda esse aestimandum erit. Audiatur mater, si

C

limina



limina judiciorum adit & arbitretur iudex, etiam per denunciationes pastorales, alias, excitatus.

§. XVIII.

Longe alia rerum facies est, si liberi tempestive & re adhuc integra consensum matris imploraverint, & mater tunc consensum impertire nolit; in hoc casu, aequae, supra ratione patris §. 14. iamiam ostendimus, liberis via ad magistratum patet, ita ut magistratus matri obligationem imponat ad causas dissensus allegandas, & si haec non sufficientes a magistratu reputantur, consensus potest suppleri. Quenam vero causa pro sufficienti habenda sit, nec ne, est quaestio valde ardua. Inter omnes illa imprimis eminent, si liberi nullum rationabile fundamentum, unde postea in matrimonio necessaria quaerant, afferre possunt. Nam ridicula est opinio illa, quod haec omnia prono alveo postea veniant, licet rationabilis, & probabilis causa afferri nequeat. Sicuti hanc opinionem acute perstrinxit. *RABENER in seinen satyrischen Schriften.* Interim si hocce dubium, a matre prolatum, est fundatum, sponsalia non possunt celebrari. E contrario magistratus supplebit consensum, si mater tantum inutilia, seu alia accidentalia urgeat. Potissimum vero tota haec res, utrum causa sufficiens, nec ne, redundat ad arbitrium iudicis. *Vid. DD.*

§. XIX.

Nonnumquam fieri potest, ut liberi non antea solum enixam voluntatem sponsalia ineundi parentibus legitimo modo declaraverint, sed simul etiam consensum eorum imploraverint; Parentes vero non aperte contradicunt,



tradunt, sed plures septimanas ante declarationem praeterlabi patiuntur & post celebrationem sponsaliorum dissensum declarant; quaeritur: an tunc sponsalia, ita inita, irrita censenda. Videtur quidem negativa fundata esse, cum consensus parentum etiam tacitus sufficit, nempe quando sciunt praeparatoria, nec tamen tempestive declarant dissensum. MEV. P. 8. Dec. 40. in fin. STRYK de caut. jur. P. 2. Sect. I. C. 3. n. 118. Nam qui tacet, ubi loqui potuisset & debuisset, ille consentire videtur; modo a videri ad esse urgens appareat consequentia. Bene igitur considerandum, solum silentium consensum non inferre, vid. BROCKS de silentio consensum non inferente. L. B. DE CRAMER Spec. 12. usus Philosoph. WOLF de tacente, dissentiente. Ergo si non alia facta accesserint, ex quibus consensus elici potest, sponsalia omnino manent invalida. At, si liberi semel consensum parentum ad sponsalia ineunda impetraverint, parentibus revocatio, & annullatio postea indigne facta minime est concedenda. MEV. P. 8. Dec. 198. Semel enim approbata, postea improbare, vel impugnare iis non licet. COTHM. Vol. I. Resp. 10. n. 132. MEV. P. 8. Dec. 41. & 123. n. 5. Nihil definire potest theoria, absque protocolliis. Datis casibus evolvantur similes & analogici, nec praetervideatur STRYKIVS, qua Tr. de dissensu sponsalicio. Tota causa requirit viros, qui sanis reguntur principiis. Leg. MEVIVS P. 8. dec. 40. quae adeo est instructiva, ut non sine veneratione queat legi.

§. XX.

Exsurgit denique alia quaestio, an sponsalia liberorum, accedente utut copula carnali, ob neglectum parentum

C 2

confen-



consensum pro invalidis declarari possint? Si enim ius strictum, & speciatim nostrum respicimus IUS STATUTARIUM *l. antea adl. §. VII.* Würden sich auch gleich die Verlobten fleischlich vermischt haben; so soll dennoch solches denen Winkel-Ehen kein größeres Recht geben; illegitimam, & turpem ab initio conjunctionem concubitu minime convalidari, nedum parentibus ius suum auferri posse iam per se patet. Interim tamen, si aequitatem & publicam utilitatem attendimus, maius pudori iam vitiatæ est consulendum, pro turpibus scandalis vitandis. MEVIVS *ad Ius Lubec. Lib. I. tit. IV. art. 2. nr. 16. it. BESOLD Consil. 56. n. 24.* Ex qua ratione quoque in praxi sæpe, imo fere ut plurimum, secundum CARPZOVIVM *in Iur. Forens. Rom. Saxon. P. IV. Conf. XX. Defin. XV.*; licet in theoria ipsius sententia non fundata, pronuntiari solet. Et eadem quoque est decisio quaestionis, si sacerdotalis copula accesserit; In theoria enim tale matrimonium annullandum esse nemo negabit, sed in praxi id non fieri, iam reperire licet in Domini PRAESIDIS *iure matrim. Mecklenb.*

TANTVM.



CON-

CONSULTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO,
FANTERO,

S. PL. D.

PRAESES.

Gratulor Tibi, VIR CONSULTISSIME! studia
juridica, in examine, jam ante annos & per practi-
cos labores, largiter probata. Veni in cathedram & defen-
de Tuam, oblatam mihi dissertationem inauguralem. No-
vit Te cathedra publica, per diff. juridicam, *silentem, non-*
nulla quaedam, de communione bonorum, a conjuge superstite, cum libe-
ris, continuata, habitam anno 1752., Praefide Excell. Dn. D. & Prof.
BALEKEN, ICto, in hac Academia, longe celeberrimo, Fautore, Collega
etque Affine mihi estimatissimo, charissimo. Accesserunt alia speci-
mina gratulatoria, quæ mihi non sunt, in continenti, ad ma-

C 3

nus,

nus. Oblatam appellavi hanc dissertationem, & publice de-
claro, eam mihi plane esse alienam. Decerpisti particulam juris
matrimonialis practicam. Fertiles semper adhuc sunt mate-
riae jurium commentationum specialissimarum. Credo, quod
anno 1860., si Deo placebit mundum superesse, nondum
exhausta sint themata, elaboratione digna. Nec nocet, sed
juvat, si, ex capitibus, imo §§. materiarum Iuris, singulis,
fiant speciales dissertationes. Si B. LUDOVICI diutius vixis-
set, accepissemus sane bibliothecam Processuum specialium,
Recensus ineditorum, ejusdem, ad vitam, I. N. praemissam,
memorat ex MSCR. den Camerat-Proceß, den Bergwercks-
Proceß &c. Possent plures addi, si ornari vel onerari vel-
lent repositoria. Scriptibiles forent, bey Vormundschafts-
Servituten- Erbschafts- &c. &c. Proceß. Possent, ex iis,
quos habemus, fieri liberi atque nepotes. E. gr. Ex Pro-
cessu Consistoriali, ein Ehe-Proceß, ex hoc ein ästerlicher Con-
sens-Proceß, ein Repudien- und Divortien-Proceß. Bene &
iterum per me bene! Non natura adeo, quam ars novas de-
properat edere formas & veteres libri properant, multa ex
parte,

parte, ad officinas, ubi in partes non adeo distinguuntur,
quam dividuntur, dissecantur. Vult omnino & piper, volunt
& edulia habere sua involucria. κ. τ. λ. Detur venia diverticulo.
Stat sententia, quam, Litteraturam ubique commendans, ex-
hibens, in Collegiis interdum trado, daß die speciellesten
Schriften, in begehenden Fällen, die angenehmsten sind und die
bequemsten Dienste thun. Refero ad illa, VIR CONSVL-
TISSIME! Tuam diss. inaug. Tangit eadem incidenter prae-
terea passum juris, de consensu tacito parentum. Veniat
scriptor, editurus *diss. de consensu parentum implicito*. Impliciti
& taciti confusionem semper improbare soleo. En! thema
præliminare, quod, quantum scio, nemo speciatim tractavit.
Adero futuro Autori diss. spec. multis casibus practicis Consisto-
rialibus. Quo autem clarissime pateat, quid ego per implici-
tum, qua substratum, in differentia a tacito, intelligam, re-
mitto B. L. ad *diss. Schoepferianam, de matrimonio, per substitutum
contrahendo, hab. Rost. 1709. Cap. 2. n. 13.* ubi relatio, ex pro-
cessu, inter filiam & patrem, qui illi dixerat: Der Titius ist
ein seiner Keul, welcher mir wol zum Schwieger-Sohn anstünde.


Quo


Quo audito, filia, absque ulteriori requisitione, contraxerat,
cum illo Tirio sponsalia, quae pater tamen irritare conabatur,
per sua sophismata, Filia evasit victrix, per sent. Fac. Iurid.
Rost. Substantia maneat salva: Habuere tamen sponsalia illa
nævos. Forre mihi obmovebitur, adfuisse expressum con-
sensum; sed evincam omnibi notionem meam mediam *impli-*
citi. Satis! Satis! Modo scripserim: Vive atque flore,
PRAENOBILISSIME DOMINE DOCTORAN-
DE! orna patriam & honestissimam familiam atque excita ul-
teriores gratulationes. Dab, die 19. Iunii, .MDCCLX.



Rostock, Diss., 1759-76

X 228 42 89





17

10

DISSERTATIO INAUGURALIS
 IVRIDICA,
 DE
AEQUALI, VTRIVSQUE
 PARENTIS, IVRE, QVA CONSENSVM
 IN SPONSALIA LIBERORVM: 1760, 3.

P. 1760

QVAM,
 DEO CLEMENTISSIME DIRIGENTE,
 EX DECRETO AMPLISSIMI ICTORVM
 ORDINIS,
 IN ACADEMIA PATRIA,

PRAESIDE,
DN. D. ERN. IO. FRIED.
Mantzelu,

SEREN. DVC. REGNANT. CONSIL. ET PAND. PROF.
 FACVLT. IVR. SENIOR, ET AD H. A.
 DECANO,

PRO IMPETRANDIS SVMMIS IN IVRE
 HONORIBVS,

H. L. Q. C.
 ANNO MDCCLX. D. XXVI. IVNII,

DEFENDET,
GABR. FRIED. FANTER,
 ROSTOCH.

ROSTOCHII,
 LITTERIS ADLERIANIS.

